EMINENTISSIMO PRINCIPI

LOTHARIO FRANCISCO,

S. SEDIS MOGVNTINAE

ARCHIEPISCOPO,

S. ROMANI IMPERII

PER GERMANIAM

ARCHICANCELLARIO,

ET

PRINCIPI ELECTORI,

EPISCOPO BAMBERGENSI,

PRINCIPI

PIO, FELICI,

MERITISQVE IN REM IMPERII PVBLICAM IMMORTALIBVS


LAVDES OMNES SVPERGRESSO,

VITAM FELICITATEMQVE PERPETVAM

DEMISSISSIMA ANIMI SVBIECTIONE

PRECATVR

GEORGIVS CHRISTIANVS IOANNIS.



EMINENTISSIME PRINCEPS ELECTOR,

CVm immensus ille tum virtutis TVAE, tum dignitatis, infula pontificia, trabeaque nouemuirali præfulgentis, splendor omnium oculos præstringat, mentesque, diu sane a me impetrare haud potui, vt has qualescunque laborum meorum, quos in illu-

illuſtrandis S. Sedis TVAE rebus, pro virium mearum imbecillitate, moduloque, collocare occepi, primitias Celſiſſimo TVO, ac tot meritis non Germaniæ modo noſtræ, ſed omnibus, quæ cultiores ſunt, gentibus commendatiſſimo Nomini inſcriberem, easque TVVM ad puluinar tanquam tabulam votiuam appenderem. Animum tamen ad vltimum mihi fecit ſingularis illa TVA atque inuſitata in tanto culmine benignitas, qua, inter tam grauem quotidianorum, eorumque maximi momenti negotiorum & conſiliorum molem, artes ingenuas & doctrinarum ſtudia, quibus homines ad virtutem in rei publicæ vſum & decus formantur, complecteris, foues, ac tueris. Cum enim alii, quos in tantam amplitudinem, quantam TV maxime omnium cum applauſu atque admiratione orbis terrarum ſuſtines, ſors diuina prouexit, omnem ſui in hoc genere officii menſuram ſibi impleſſe videntur, ſi litteras, quas olim delibarunt, haud contemnant, illarumque cultores non negligant plane; quæ equidem, vt nunc eſt, in tanto liberalium diſciplinarum faſtidio non vltima laus eſt ducenda; TV, *PRINCEPS ELECTOR Sapientiſſime*, maximi contra eas facis, & cum exploratum habeas, quantum vtilitatis & commodi ad rem publicam ſeruandam & exornandam adferant, inter ſacra Principatus pignora eas numeras & inſtrumenta, ad eas, tanquam leuamen curarum, quibus pro Imperii ſalute, populique TIBI commiſſi otio, tranquillitate, & opportunitatibus diſtringeris, ſi quid vacui & ſubſeciui temporis concatenatis quaſi

istis occupationibus subducere potes, maxima cum voluptate reuerteris; nec contentus, in oblectationibus eas habere ac deliciis, in maius etiam meliusue prouehis eas, ac, vt gloriæ, quam mereris, immo iam præcipis, cumulum numeris omnibus expleas, in omnes, qui probitatis ac eruditionis aliqua sunt opinione, clementissimo es adfectu. Confirmauit deinde, quem admirabilis hæc TVA bonitas, tantaque & tam secunda in artes & ingenia voluntas mihi addidit, animum ipsius argumentum operis, idque non triuiale, sed TIBI, *PRINCEPS ELECTOR Eminentissime*, sanctæque Sedi TVAE, vnice proprium. Agit enim de metropolis TVAE, specialis illius ecclesiæ Romanæ, vt merito audit, filiæ, vrbiumque, veteri elogio, reginæ, ortu, incrementis, fatis, calamitatibus, ornamentis, decoribusque, ac statu: agit de Diuis illis, cæloque, vnde venerant, receptis ciuibus, qui tum Moguntiam, tum Diœcesin TVAM doctrina, morum sanctitate, studio pietatis promouendæ inflammatiore, vitaque pro veritate diuina pie firmaque animi in Sospitatore suo confisione durissimis sub cruciatibus reddita, illustrarunt: agit de rebus laudatissimorum Decessorum TVORVM domi forisque feliciter secusue gestis: agit de sacris, vt plura alia præteream, in tam augustæ nobilitatis ciuitate Collegiis, Contuberniisque: quæ vnico quasi intuitu lustrare, TIBI non iniucundum fore, mihi persuasi, & id quidem hoc pronius, quo notius est, TE, pro summa ista prudentia, quam excelsior indoles TIBI inseuit,

vsus

vſus vero doctrinaque confirmauit, ea, quæ in tot, tantæque dignationis ac celebritatis Principibus, qui ante TE ad Moguntini Archiepiſcopatus gubernacula ſederunt, immortalia fuere, TVARVMque virtutum præludia, ſtudioſe intueri, operæque haud contemnendum exiſtimare pretium, non neſcire, quid antequam natus fueris, vel gradum feceris ad hoc ſupremi, quem conſecutus es, honoris faſtigium, acciderit, eueneritque, ſed id omne perquam meditate tenere, & in rei publicæ rationes conuertere. Vnum adhuc eſt, ſed mihi proprium, quod in cauſſis allegare poſſum, queis inductus qualescunque hos labores ſub Celſiſſimi Nominis TVI auſpiciis in lucem publicam producere, & ad pedes TVOS ſubiectiſſimo cultu deponere audeo. Cum enim paſſim inueniantur, quæ ſæculi noſtri labes eſt, maleuolo homines ingenio, quibus nil prius eſt, quam vt aliorum ſcripta, ab optimo etiam animo profecta, & ad vſum vitæ, doctrinæque ornandum ac iuuandum elaborata, vellicent, rodant, & liuoris ſui nebulis obfuſcent; ratus ſum, *PRINCEPS ELECTOR & DOMINE Indulgentiſſime*, benignius & mecum & cum curis hiſce meis actum iri, ſi conſpexerint, illius eas præ ſe ferre nomen, qui ex æquo bonoque metitur omnia, & poteſtate, qua pollet, omnibus eſſe ſolet præſidio, qui bonæ mentis alumni ſunt, & virtutem honeſtasque artes ad communem conferunt vtilitatem.

Hac igitur ſpe, *PRINCEPS ELECTOR Clementiſſime*, opus hoc religioſe, eaque animi ſubmiſſione, quæ infimi generis hominem decet, TIBI dico, dedico, conſecroque, ſubiectiſſime rogans,

velis id fronte TVA, hoc est, serena suscipere, atque ex pio magis rectoque offerentis adfectu, quam pretio, cultuque interpretari. Quod si feceris (facies autem pro incredibili ista TVA, omniumque sermone celebrata benignitate) & voluntatem potius spectaueris, vt Principes Diis similes facere solent, quam muneris tenuitatem, magnum operæ meæ pretium me tulisse, & id, quod vnice opto consecutum esse putabo.

Nil amplius addo, quam, quæ summa officii, cultusque erga TE mei pars est, supplicem me DEO, salutis TVAE auctori, futurum, vt TE, *PRINCEPS ELECTOR Eminentissime*, tamdiu saluum, incolumem, ab fortunæ offensione inconcussum, & omni rerum optandarum copia florentem mortalium rebus interesse velit, donec Imperio, eiusque Augustissimo Capiti, populo potestati TVAE tradito (cuius saluti & dignitati tanta prouidentia & indulgentia nullo non tempore consulis) Musis, quæ TE, tanquam beneficum quendam & tutelarem genium, respiciunt, bonorum omnium desiderio, TIBI denique ipsi, Celsissimæque Familiæ TVAE abunde satisfeceris, ac ex animi plane sententia.

Hoc votorum meorum fastigium est, in quo religiosissime finio, TIBIque, *PRINCEPS ELECTOR Clementissime*, quam demississime reuerentissimeque me commendo. Scribebam Francofurti ad Mœnum, ipsis Kalend. Maii, anno a salutifero Virginis partu MDCCXXII.

LECTORI